

UM  
RUM  
E  
EINZIA  
UM







DIVITIARUM  
EVANGELICARUM

*Disquisitio LIII.*

PRÆSIDE

CHRISTIANO GUEINZIO

Gymnafii Hallenfis

Rectore

*Respondente*

CAROLO ANDREA

H O S S M A N N.

Hallenfi Sax.

*Dominica XXII. post Trinitatis.*

*A. O. R. cl. lbc. III.*




HALLIS SAXONUM

*Prelo Heredum Melchioris Oet-*

*schlegely*





CAROLO-BOHEMICA  
HISTORIA  
AVTHORE CAROLO-BOHEMICO  
MAGISTRO CAROLO-BOHEMICO  
DE S. MARTINI  
C. 1600







ANALYSIS  
EVANGELII  
DOMINICA XXII. POST TRI-  
NITATIS.

Matth. 18. v 23. usq. ad 35.

CONTINUATIO.



*Erba sunt Siracidis ca-  
pite 5. v. 6. Ne dicas misericor-  
dia Domini plurima est, peccato-  
rum multitudinē ignoscet mihi:  
tam enim ira ejus, quam misericordia ab eo  
properabit, ac supra sceleratos furor ejus qui-  
escet. Quib9 verbis, & Dei misericordiam, &  
Dei iram manifestat: utraq; magna est. Nam  
misericordia ardens est, Hosea 11, 8. pertingit  
usq; ad viscera, Luc. 21, 8. parentum miseri-  
cordiam superat, Ps. 103, 13. magnificata est  
usq; ad caelos Ps. 103, 11. Tanta quanta ejus  
Xx maje-*



570  
majestas, Sirac. 2. v. ult. Et hac, nimirum ira  
Dei, est consumens ignis, Deut. 4. 24. ad infer-  
na usq; ardet Deut. 4, 12. devorat impios. Soph  
10, 3. Et super quem ira Dei vitam non habet  
in se manentem. Joh. 3, 16. Utriusq; habemus  
illustre documentum in Evangelio.

## THESES.

I. In quo partim est declaratio, tum  
de Dei remittentis humanitate, ubi in ge-  
nere est rationum collatio. v. 23. in quo  
præmittitur continuatio, quæ continet oc-  
casionem: propter hoc. Moverat enim Pe-  
trus questionem quoties fratri sit remitten-  
dum? Ideoq; responderat Christus, non septies  
tantum, sed septuagies septies: hoc est quadrin-  
genties nonagies, per Synecdochen numeri  
certi pro incerto, uti videlicet toties esse remit-  
tendum, quoties venia peteretur asserat. Rectè  
enim creditur, inquit August. lib. 2. quæst.  
Evang. cap. 6. omnia peccata Christum jussis-  
se toties remitti, quando quidem ipse, per quem  
omnia peccata remissa sunt, septuagesima septi-  
ma generatione ad homines venire humaniter  
dignatus est, habet idem cap. 15. de Verb.  
Dom. Ut autem Christus hanc assertionem  
suam eò melius explicaret, subjungit ideo nar-  
rationem



rationem parabolicam. Ut discamus ea, quæ  
dubia sunt, plenius inculcare.

2. Et exponitur summarim, quoad an-  
tecedens: assimilatum est regnum cœlo-  
rum: Familiare est Syris, & maxime Palesti-  
nis, ad omnem sermonem parabolam adjicere;  
ut quod per simplex præceptum teneri ab audi-  
toribus non poterat, per similitudinem exem-  
plæ, quædam teneatur, habet Hieronymus  
cap. 18. lib. 3. Et per regnum cœlorum in-  
telligitur status Ecclesie in hoc mundo, Luc.  
17, 21. in quo scepero verbi sui gratiosè regnat.  
Ps. 110, 2. unaq; etiam includitur filius Dei,  
quando in similibus factus est homini uniens  
eum sibi, & per omnia faciens sibi unum, uti  
ait Origenes Homil. 7. in Matthæum.

3. Quoad consequens: Regi. Per  
quem intelligitur Pater cœlestis, Dominus  
Dominantium, & Rex Regum. Apocalyps.  
19, 16. Cujus sunt omnia regna propria, Ps.  
86, 11. Job. 21, 28. quiq; ea transfert ac stabi-  
lit, Dan. 2, 21. Cujus sedes cœlum est & ter-  
ra scabellum pedum eius, Es. 66, 1. Et quidem  
jure creationis, quia ipse fecit nos, Ps. 100, 3.  
Redemptionis, qui magno pretio emit nos Joh.  
3, 16. Ut discamus ipsum vereri & precari,  
cum Nysseno lib. de Orat. Veniat super me  
Xx 2                      Regnum



regnum tuum, ut recedant à me, imo ad nihilum redigantur, quæ nunc Imperium tenent, & regnant vitia & affectus. Indigni quidem sumus, inquit Augustinus meditat. c. 16, sed tu nõ es indignus seruitio tue creatura.

4. Explicatim, quoad effectum: qui voluit conferre rationem. Hoc est inquirere de actionibus in officio præstitis, etiam de bonis concreditis. Ut discamus de omnibus esse reddendam rationem dictis & factis. Es. 66, 23. Matth. 25, 19. Rom. 14, 12. Non quidem tantum in extremo iudicio, sed etiam in hac vita, ubi locus misericordiae est: quemadmodum factum cum Adamo, & Caino per legem, ubi Adamus fugit, Gen. 4, 9 sæpè per pœnas publicas & privatas. Interdum per mortem Gen. 5, 7. Hiskiam per morbum. Es. 38. Prov. 3, 11. Es. 66, 16. Inde Basil inquit serm. 3. ob hanc conversionem nostram calamitates Deus infligit, non extinguere nos cupiens, sed emendare castigareq; cupiens more piorum patrum erga filios per providentiam. 2. Maccab. 5, 12. Luc. 21, 25.

5. Quoad objectum: cum servis suis. Qui sunt omnes homines, quibus Deus varia sua dona & bona concredit, jure nativitatis: nos enim ejus servi sumus, dum nascimur, in  
 ipsius



ipsius potestate. Actor. 17, 28. *Vt discamus nos non esse nostri juris, sed præ omnibus aliis creaturis præscriptis legibus obtemperemus, ut serviamus ipsi in iustitia & sanctitate. Luc. 1, 24. Vt simus servi iustitiae. Rom. 7, 18. ne, cum servi simus, & quidem scientes voluntatem Domini, & non facientes, duplo vapulemus, Luc. 12, 47.*

6. In specie, quoad Deum, ubi servi malè administrantis delatio. v. 24. In quo tempus: & cum cepisset conferre. *Hoc est inquirere in administrationem & rationem in hac vitâ, quoad hunc locum, ubi adhuc datur locus misericordiae.*

7. Et modus, respectu subjecti: oblatus est ei unus. Nempe ex servis, non quod Hieronymus voluit, *Diabolus*, sed homo, quia illi nihil remissum est: neq; solum populus Judaicus, sed omnis homo. *Quis enim est, qui non sit Dei debitor?* inquit Augustinus serm. 15. quodq; de uno dicitur, intelligendum de omnib; quia tenentur omnes reddere rationem Rom. 2, 6. Unde Chrysoft. hom. 62. in Matth. referenda nobis ratio est de mandatis nobis commissis.

8. Et respectu accidentis debiti in genere: qui debebat ei decem millia talentorum.



rum. *Per debitum nihil aliud quàm peccatum intelligitur, uti Tertull. in libro de Oratione cap. 7. ait. quod perinde iudicio debeatur, & ab eo exigatur, nec evadat justitiam exactiois, nisi donetur; ita omnes sumus debitores, quia omnes peccavimus. Rom. 3. 23. Etiam sancti orare tenentur pro remissione peccatorum. Ps. 32. 3. & si dixerimus nos peccatum non habere, 1. Joh. 1. 9. nos ipsos decipimus. Nemo enim sine peccato est, inquit Augustinus. lib. de fide ad Petrum Diaconum c. 41.*

9. In specie, quoad multitudinem: decem millia. *Per qua licet per Synecdochen numerus certus pro incerto ponatur, tamen ad decem precepta ipsum respexisse rectè assertitur, ut habet Augustinus serm. 15. de verbis Domini, contra qua peccavimus partim originaliter per originale peccatum, partim actualiter, tum omitendo bonum, tum committendo malum.*

10. Et quoad magnitudinem: talentorum. *Quod talentum, si Atticum intelligamus, facit unum septingentos quinquaginta thaleros. Decem ergò millia constituunt 60. tonnas auri. Quas abstulit Marcus Crassus è templo Hierosolymitano, Joseph. Antiquit. Judaic. lib. 14. c. 12. totidem promisit Haman, Esth.*



Esth. 3, 9. totidem impendit Alexander Magnus in sepulchrum Hephastionis, uti habet Plutarchus. Ac uti summa magna est, ita etiam nostra peccata ad Deum collata, sunt plura. Quis enim delicta intelligit? Psalm. 19, 13. non possumus respondere ad unum pro mille, Job. 9, 3. Tam grande igitur est debitum nostrum, ut non simus solvendo. Et intelligendum, uti habet Origenes hom. 7. in Matth. unumquodq; maximum peccatum dici talentum. Unde ergo erunt opera supererogationis? Luc. 17, 10. dicuntur omnes servi inutiles.

11. Et solutionis subministrata ratio. v. 25. in quo causa impellens: cæterum cum is non esset solvendo. Quis verò tantam summam solvere potest? cum servi simus inutiles, Luc. 17, 10. nec habitet in corde nostro bonum, Rom. 8, 18. Unde, ait Bernhardus term. 38. super Cantic. peccata tua maxima sunt, & nimium multa. Nequaquam pro tot & tantis, nec si te excories, sufficies satisfacere.

12. Et effectus summationis: iussit eum Dominus venundari, debitiq; solutionem facere. Quia alio modo debitum non tollitur: Et olim graviter animadversum fuit in eos, qui sub mutui pretextu creditores fallebant.



6  
Bœotii corbibus in foro publico injecerunt ;  
Thyrreni per lictores circumduxerunt in urbis  
plateis ; Romani ex legibus 12. tabularum cor-  
pus debitoris pluribus adjudicatum, secuerunt  
& partiverunt, uti refert Gellius l. 20. c. 1. Le-  
ge Saxonica turri includunt, usq; dum solve-  
rint. Et ita coërcendi forent etiamnum, forsari  
non tot sequerentur fraudes.

13. Et explicatim, quoad materiam :  
quoad personas : & uxorem. Lex enim ve-  
tus habet, qui non habet in ære, luat in corpore.  
Unde Tertullian. in Apolog adversus gen-  
tes cap. 4. ait : Debitorum qui non solvendo  
erant, in partes divisos, & inter debitores dis-  
persos. Quod verò etiam uxores licitum sit  
vendere, & usitatum, colligitur ex hoc loco :  
quia mulier est caro de carne, & cum ut pluri-  
mum bona una abliguriant, simulq; consenti-  
ant, etiam una debent puniri ; uti factum est  
in Phinea, 1. Sam. 4, 19. & in Anania, Actor.  
5, 10.

14. Et liberos. Fuit nimirum mancipa-  
tio debitoris & ejus liberorum, uti Ambrosius  
testatur de sua ætate, de Tobia c. 7. Vidi ego  
miserabile spectaculum, inquit liberos ingenu-  
os propter paterna debita in auctorem dedu-  
ci, ac venundari, mea, inquit creditor, nutriti  
pecu-



pecuniã pro alimoniã servitutẽ recognoscant,  
 pro sumptu licitationem subeant. Et paulo  
 post; hac est debitoris stultitia, ut filius, quibus  
 non reliquit pecuniam, auferat libertatem pro  
 testamento, chirographum dimittat pro emo-  
 lumento hereditatis syngrapham obligationis.  
 Intelligendum autem est, decem preceptorum  
 legis eum fuisse debitorem, & pro cupiditate,  
 atq; opibus suis, tanquam uxore & filius pœnas  
 solvere debuisse, ut ait Augustin. lib. 1. quæst.  
 Evangel. c. 25. significatq; alienationem à Deo,  
 qui enim venditur, alterius fit domini. Ecce  
 mulier caro est, & filii operationes male, ait  
 Theophylactus in Matth. Sed cuius rei gra-  
 tiã, quærit Chrysostom. hom. 62. in Matth.  
 iussit vendi uxorem & filios eius? Non ex cru-  
 delitate certe, nec quia inhumanus esset, cum  
 ad seipsum rursus redundaret, è servus enim su-  
 is debitor erat, sed quia incredibili curã illius  
 devictus hac comminatione ad supplicandum,  
 ne venderetur, adducebat. Nam si propter de-  
 bitum fecisset, non annuisset sanè petitioni de-  
 bitoris, nec universo ipsum debito condonasset.

15. Quoad res: & omnia quæ habe-  
 bat. Quia omnia debebat, siquidem creditoris  
 vel expresse, vel tacite omnia bona sunt obli-  
 gata.



16. Quoad finalem causam : ac fieri solutionem. Non quasi omnia solvere potuisset, quia alias non antea dixisset, ipsum non habuisse, unde solveret. 2. Omnia ipsi condonavit. 3. Verba Christi sunt parabolica, in quibus scopus attendendus. Fuit verò id fieri Dominus, ut eò magis agnosceret debiti magnitudinem, suamq; in solvendo insufficientiam, nullo enim pretioso auro redempti sumus, sed solo sanguine Christi, 1. Petr. 1, 18. neq; enim satisfacere possumus, licet omnia faciamus, Luc. 17, 10.

17. Quoad servum est humiliantis deprecatio, v. 26. In quo factum quoad gestum in genere : procidens autem servus. Cum enim non haberet, quod exciperet, confugit ad misericordiam. Ut discamus equè ingenuè fateri, quæ negare non possumus.

18. In specie : adorabat eum. Id est, supplex factus. Ut discamus in similibus similiter agnoscere debita nostra, & hinc nos humiliare; qui enim negat, ille aggravat. Unde Augustin. enarrat. 2. in Psalm. 31. Noli operire tu. & operit Deus eorum qui tegunt, peccata nudantur, iste autem nudavit, ut cooperiretur.

19. Et dictum : quod continet compella-



pellationem: Domine. *Captat benevolentiam, & propterea impetrat veniam.*

20. Et sollicitationem quoad Dominum: esto patiens erga me, *Seu longanimus, hoc est. μακροθύμητος.* Unde Ambros. lib. 6. super Lucam cap. 7. *Veni mihi si non petiero concedi mihi debitum.*

21. Et quoad servum: omnia tibi solvam. *Non quasi posset, sed facit quod solent oberati vulgo, quorum ea facilitas atq; levitas, ut stipulari prolixè non erubescant, prestare autem animum non inducant. Ut discamus calamitate pressos plerunq; majora promittere: Sic Pharaon, Exod. 8. 8 sic Saul, 1. Sam. 15. 30. Licet ne quidem ad unum ex mille respondere possimus, Job. 9. 3. quia, si Deus severè nobiscum ageret; qua nobis spes reliqua esset? quis ex omnibus salvus fieret? quærit Baalivus in Psalm. 32. Omnis enim humana iustitia iniustitia esse convincitur, si districtè iudicetur, ait Gregor. lib. 1. c. 11. Exposit. Moral. Promittamusq; potius bona pœnitentia, ne Deo mentiamur, Luc. 15. 10.*

22. Et ei facta gratuita condonatio, v. 27. In quo affectus: misertus autem Dominus servi illius. *Hoc est, intimis commotus visceribus; tanta enim est misericordia Dei,*



*ut etsi nos vult pati aliquid, ait Salvianus lib. 5. de gubern. & de piaculis nostris, nolit tamen cuncta tolerare. Perspexisti igitur, habet Chrysof. hom. 62. in Matth. rursus mirabilem exaggerationem misericordiae, dilationem solummodo temporis, ac prorogationem quandam servus postulavit, ille autem multo magis quam petit, videlicet totius mutui donationem, ultrò praeiuit.*

23. Et effectum, in genere: absolvit eum. Nempè à debito, & dimisit. Ita misericordia Dei dimisit omnino debitum, tametsi servus tantum moram petierit, & prorogari tempus optavit.

24. In specie: & æs alienum remisit ei. Ita servus à debito non solum absolvitur, sed & debitum ipsi remittitur. Ut discamus Deo totam in solidum ascribere remissionem peccatorum, & culpa & pœna Psalm. 32, 1. Psal. 130, 7. Mich. 7, 9. Eph. 1, 7. Namq; Deus non reddit debitam pœnam, sed reddit condonatum gratiam. Debebat vindictam, ait Augustinus in præfat. Psalm. 31. dat indulgentiam. Igitur manifestè beati sunt, inquit Ambros. in cap. 4. ad Rom. quibus sine labore vel opere aliquo remittuntur iniquitates & peccata teguntur; nulla ab his requisita pœnitentiæ opera, nisi tantum ut credant.



25. Partim est hominis debitoris immanitas, ubi antecedens tum respectu egredientis servi, cuius iniquissima propter debitum postulatio. v. 28. In quo ab effectu proponitur antecedens ratione modi: egressus verò servus ille. *Debuisset quidem ex imo pectore agere gratias Domino pro prestito summo beneficio; cum verò dimissus egreditur ille, non in bono emendandi vitam proposito, sed egreditur, ut Cain, Gen. 4, 16. egreditur ut acolastus, Luc. 16, 13. egreditur ut Judas proditor, Johan. 13, 30. Ut discamus aliter egredi.*

26. Et respectu objecti, à relata societate: invenit unum de conservis suis. *Eum quòque, ut Syrus addit, de cognominatione sua. Ideo quòque, aequè ac ipse Dominus suo dilectus. Unde Chrysostr. inquit, pondus inest verbis, quasi cuius magis deberet misereri, quia plus misericors debet esse in miseros, qui miseriam ipse expertus est, & contra dignus est, redigi in miseriam, qui in miseros non habet misericordiam, addit Ardens. Intelligitur quòque, qui vis proximus, qui servus Dei nobiscum est.*

27. Et à relata obligatione: qui debebat sibi 100. denarios. *Aequè quidem obligatus est, sed non equaliter: cum 100. denarii*  
vix



vix sint 16. floreni. Quod si verò, quod in Hebraeo habetur, maoth intelligitur, sunt 100. obולי, faciuntq<sub>3</sub> grossos 50. Ut planè nulla sit comparatio, vel saltem minima inter debitum huius & illius. Tantum igitur in hominem peccata distant ab his, quae in Deum committuntur. Perspicias igitur, habet Chrysostr. hom. 62. in Matth. quantum inter peccata discrimen, quantum enim 100. denarii à decem millibus valentis distant, tantum, imò multò plus, distant, quae in hominem peccata, ab his quae in Deum committuntur: quod tum differentià personarum, tum crebriate, imò verò continentia peccandi perspicitur. Nam cum peccantes nos homo quispiam videt, verius à peccato desistimus: Cum autem Deus cottidie delinquentes perspiciat, nequaquam veremur; sed omnia intrepide facimus, atq<sub>3</sub> dicimus: neq<sub>3</sub> hac ratione solum, verum etiam propter oblata beneficia, & honoris gratiam, quo divinitus praediti sumus, adversus Deum delicta graviora redduntur.

28. Consequens, concernit tum factum minus: & injectam in eum manu. Quod olim, uti constat ex autoribus, licitum erat. Sed, habet Chrysostr. vidisti humanitatem & misericordiam Domini, vide nunc inauditans  
servi



servi crudelitatem? qui ausus est vim inferre propter minimum debitum, cui nulla erat illata propter maximum.

29. Tum majus: obtorto collo trahabat. Quasi ipsum suffocare velit: hoc enim gracum innuit, secundum morem veterum. Notanda hic servi credulitas, omni enim fera saevius, ait Chrysostr. hom. 62. in Matth. hic in conservum insiliebat. Ut discamus plerosque acceptis beneficiis fieri elatiores & saeviores, ultimaque deteriora prioribus; cum potius placide ius sit persequendum; & iuste, uti habetur Deut. 16, 20. iuste autem justum exequi est in assertionem justitiae ipsam justitiam querere, ait Gregor. lib. 9. c. 13. exposit. Moral. potius mites simus erga conservos, Luc. 10. quia ex uno sanguine, Act. 17, 26.

30. Et quoad dictum: dicens: solve quod debes. Dura vox, & nihil turpius est, nihil molestius, quam audire hanc vocem: non quasi impium sit reposcere debitum, cum non impium sit creditum, sed ne simus nimis duri, & litigemus de denariis, quando talenta nobis sunt remissa: & habeamus rationem pauperum; debitorum sane est, ut reddant fideliter, Sit. 29, 2. quia peccator mutuat, & non solvit, Psal. 37, 29. sed creditorum etiam est intelli-  
gere



*gere super egenum, Psalm. 41, 1. Et diem concedere, ait Siracid. c. 29. v. 11, nam si modestè & leniter omni modo egeris, ut restituatur, non tam intendes fructum pecunie, quam ut hominem corrigas, habet August. de serm. Domini l. 2.*

31. Et respectu servi debentis, ejus supplex deprecatio v. 26. In quo gestus: & prociens conseruus ejus ad pedes ejus. *Ut verè sit idem processus, qualem ipse adhibuit, ubi Dominum rogavit. Quò discamus nos humiliare, quod si alicui quidpiam debeamus.*

32. Et affectum, summatim: rogabat eum, dicens. *Considera subtilitatem scripture, monet Orig hom. 7. in Matth. quoniam servus quidem multorum talentorum debitor, prociens Regem adorabat, quasi Regem, qui acceperat regnum, & venerat ad rationem ponendam: Qui autem centenarios debebat, prociens non adoravit, sed rogavit conseruum. Ut discamus discernere personas.*

33. Explicatim, quoad dilationem: esto patiens erga me. *Aquè patientiam in debito desiderat, quemadmodum ille, quamvis diversimode: nam illic majus debitum, hic minus.*

34. Quoad solutionem: & omnia reddam



185

reddam tibi. *Quod erat facilius, siquidem minus debitum. Verum non verba ipse verum, quibus salutem acquisivit, ait Chryso- st. bis enim ipse dictis 10000 talentorum debitum evitavit; Ita nec portum quidem cognovit, quo tutatus à naufragio evasit; nec modus ipse supplicationis ad misericordis domini memo- riam eum reduxit. Quid facis ô homo? Non sentis adversus teipsum mucronem adigere, ac sententiam & munus domini revocare?*

35. Et detestanda incarcerationio. v. 30. In quo ab effectis iterum, partim per causâ in genere: at ille nolebat. Propterea quia durus erat, & nimis inhumanus, quod erat ipsius cru- delitatis maximum indicium, ut satius sit in manus Domini incidere, quia multa eius sunt miserationes, quam in manus hominum, 1. Pa- ralip. 20, 3.

36. In specie est & modus: sed abiit. Avertit faciem, noluitq; aperire, sed clausit au- rem suam: uti solent rigidi exactores, qui licet debeant talenta, tamen pugnant de denariis; centum exaggerant, cum mille debeant, qui avertunt faciem à cognato, habet Sir. 21, 33.

37. Et conjecit eum in carcerem. Ita magna Dei bonitas est, at contra ingens homi- num crudelitas. Nam qui moram aliquam

Y y

postu-



postularat, ac debita pecunia remissionem consecutus fuerat; idem eum ab eodem mora quadam peteretur, non modo eam non dedit, sed etiam servum in vincula coniecit, a. Isidor. lib. 3. epist. 117.

38. Et tempus; donec redderet debitum. Quod cum ipsi non contigerit, mirum est quare contra conservum tam sevus fuerit, verum hac humana sevitia, ut simus non tales erga alios, quales volumus, ut alii sint erga nosmet ipsos. Quod uti quotidianum, ita plane impium: quod enim vultis, ut vobis faciant homines, dixit Christus, hoc ipsis itidem facite.

39. Consequens, quoad conservos, quorum commiseratio. v. 31. In quo accidens, cujus occasio: porro cum vidissent conservi ejus, quæ fiebant. Sunt enim semper observatores actionum nostrarum. Et vel intelligi potest Ecclesia secundum August. lib. 1. quaest. Evang. c. 25. vel Angeli, Apoc. 19, 10.

40. Et compassio: indoluerunt valde. Uti debemus aliorum injuriis & miseriis condolere & flere. Rom. 12, 20. compati, 1. Petr. 3, 9. induere viscera miserationum, Coloss. 3, 12. Et profecto qui proximum non diligit, est is, ait Bernhard. serm. 14. de modo bene vivendi, qui illi in necessitate non succurrit: quanto enim



id enim amplius per compassionem proximis nostris in necessitate succurrimus, tanto amplius Creatori nostro appropinquamus; sic fecit Jobus, Job. 29, 11. Samaritanus, Luc. 10, 24. Paulus, Rom. 9, 2.

41. Et effectum: & venientes aperuerunt domino suo omnia, quæ facta fuerant. Ordine & perspicue, uti innuit Græcum. Inde, quæ de importunitate hominum querela non sunt contemnenda, quia Deus videt afflictionem populi sui, Exod. 3, 7. surgit propter clamorem inopum Psal. 12, 7. & precationem exaudit, Sir. 35, 16. Aliorum itaq; injuriis condolendum, & pro iis intercedendum.

42. Quoad dominum est accusatio, ubi quoad verba, gravissima exostulatio. v. 32. In quo ejusdem citatio: tunc accersivit eum dominus suus. Siquidem gratia, quæ semel impetrata, iterum amitti potest. Si justus se avertit à justitia, non vivet, habet Ezech. c. 18, 25. Spiritus malus redire potest, Luc. 11, 24. iterum inquinari possunt justus, 2 Pet. 2, 21. deficere possunt, Hebr. 6, 4. Quomodo enim, habet Chrysostr. lib. 2. de compunct. cordis: Spiritus sanctus dignetur adesse animæ plenæ confusionis, quam peccatorum multitudo contexit? Sancta enim non agentes à Spiritu San-



Et deseruntur, ait Cyprianus lib. 5. epist. 3. ad Cornel. Qui ergo stare sibi videtur, videat ne cadat, 1. Corinth. 10, 12.

43. Et condemnatio, ubi appellatio: & ait illi: serve sceleste. Ita vocans eum dominus, dixit ei, quod non dixerat ante, ait Orig. hom. 7. Et Chrysoft. quando decem millia talentorum debebantur, non conviciatur debitori, sed misertus fuit; quando verò adversus consocium crudelitatem exercuit, tunc nequam atq; improbum appellavit: ut audiamus qui aliena rapimus, nobis etiam hæc dicuntur: audiamus omnes, qui crudelitate occupati neminem miseramur; quia non adversus alios, sed nos ipsos sevitiā exercemus. Et verè talis fuit, dum inhumanus & crudelis, dum ingratus erga dominum, tūm iniquus, tūm superbus, omninò nequam: sic filia Canaan dicuntur nequam in oculis Isaac, Gen. 28, 8. sic Joabum David vocat, 2. Sam. 3. v. ult.

44. Et iniquitatis à comparatis imparibus allegatio: dum debitum remisi tibi, cum obsecrasses me. Improbavit ei de indulgentia debitorum, denotata propter pœnitentiam debitorum, ut revocaret ipsi in mercedem summam ingratitude & iniquitatem.

45. Et



45. Et severa exprobratio. v. 33. In quo ab exemplo suo tanquam majori inferens minus, & debitum : nonne & oportuit te misereri conservi tui. *Igitur, qualem Deum vis esse erga te, quum delictorum veniam poscis, talem te exhibere debes his, qui deliquerunt in te*, ait Augustin. serm. 15. de verbis Domini.

46. Et modum : sicut ego tui miserus eram. *Homo homini reservat iram*, ait Cyrillus lib. 6. in Johan. cap. 12. ex Sirac. 28. *Et à Deo queris medelam : in hominem similem sibi non habet misericordiam, & de peccatis suis deprecatur : ipse cum caro sit conservat iram, & propitiationem querit à Deo? Quis exorabit pro delictis illius? memorare timorem Domini, & non irascaris proximo. Indulgeamus ergo, ut indulgeatur nobis*, habet Nazianzenus de dicto Jeremiae.

47. Quoad res, & est ad tortores condemnatio. v. 34. In quo affectus : & iratus dominus ejus. *Quid autem servo gravius potest obvenire, quam inimicus & iratus dominus?* ait Philo de legat. ad Cain.

48. Et effectus, ubi modus : tradidit eum tortoribus. *Non uxorem & liberos tantum vult vendi, sed ipsum tradit, qui flagellabunt*



590

bunt eum, Matt. 20, 19 qui torquebunt secundum Syrum, quia pejus eum oportuerat pati propter malitiam, habet Origenes: Tortores autem sunt, qui constituti sunt super pœnas.

49. Et tempus: quoad usq; redderet totum debitum. Hoc est, quò tam diu puniatur, donec reddat. Nunquam autem reddit, quod debebat, semper ergò punietur, habet Theophyl. Impossibilis enim conditio equipollet negationi: nam & Deus quantum patris pietate indulgens, semper & bonus est, tantum iudicis maiestate metuendus, ait Cyprianus, serm. 15, de lapsis.

50. Partim est applicatio, quæ est mutua offensarum condonatio. v. 35. In quo determinatio, ratione efficientis: sic & pater meus cœlestis faciet. Nempè sicut dominus ille. Ergò hanc similitudinem ad nostram imitationem proponit, habet Aug. serm. 15, de verb. Dom. at admonendo: perire nos noluit: Sic, inquit, & vobis faciet. Ad tam magnum tonitrum qui non expergiscitur, non dormit, sed mortuus est, ait idem Enchirid. ad Laurent. c. 74. Ecce fratres res in aperto est, admonitio utilis est, & valde salubris, obedientia debetur, ut quod justum est impleatur: quia  
omnis.



omnis homo est Dei debitor, & debitorem habet fratrem suum. Ideo Deus tibi constituit regulam in debitore tuo, quod facit ipse cum suo August. serm. 15. de verb. Dom. Non dixit vero pater vester, sed Pater meus, quia non sunt digni isti, quorum pater Deus vocetur, cum ita nequam sint, qui homines odio persequuntur, habet Chrysost. hom. 62. in Matthæum.

51. Et ratione objecti: Vobis. Quis vero est qui non sit Dei debitor? Nisi in quo nullum potest inveniri peccatum. Quis est qui non habet debitorem fratrem, nisi in quem nemo peccavit? putasne quemquam in genere humano reperiri posse, qui non aliquo peccato obstrictus sit fratri suo? Debitor ergo est omnis homo, verba sunt Augustini.

52. Et ratione causæ impellentis, ubi conditio: si non remiseritis. Ubi prestamur nobis remitti. O formidolosam igitur sententiam, habet Hieronymus lib. 3. in Matth. si parva fratribus non dimittimus, magna nobis à Deo non dimittentur. Tuus debitor est in carcere, habet Gregorius Nyssenus lib. de Orat. & tu in oratorio: ille ob debita cruciatur, & tu remitti tibi vis debitum; exaudiri oratio tua non potest.

53. Et declaratio ratione personæ, quo.



592

ad efficientem: unusquisque. *Quia naturam nemo abjurare potest, cum omnes Christiani fratres, & omnes debitores.*

54. Et ratione objecti: fratri suo. *Aequi fratres omnes sumus, quia omnes ex uno patre nati. Pari inter nos germanitate conjungimur, habet Hieronymus advers. Hildvid. Et quid naturam abjuratis, inquit Pelusiotas lib. 1. Epist. 171. aut vocationem ignoratis? Nam illa ex uno eodemque ventre vos protulit: hac autem per unam eandemque spem regeneravit. Quamobrem aut prior nativitas vos pudore quodam moveat, aut posterior metu afficiat.*

55. Et ratione rei, ubi modus: ex cordibus vestris. *Hoc est, ut sit reconciliatio vera, non ficta: Ne dicas, ait August. in linguam ignosco, & corde differas: supplicium enim ostendit tibi Deus minando vindictam. Novit Deus, ubi dicas: Vocem homo tuam audivit, conscientiam Deus conspicit. Si dicis dimitto, dimitte, melius est cum clamas ore, & in corde dimittas. Et Maximus Martyr. cent. 3. sent. 72. qui sine affectu fratris delictum memorat, duabus de causis memorat, aut enim ut peccatum emendet, aut ut alium juvet. Quod se extra haec memorat, sive ipsum sive alterum*  
prebrat



probris affiendi & carpendi illius gratia dicet: At nequaquam divinam retributionem effugiet, verum aut in eundem & alium turpiore lapsus incidet, & ab aliis redargutus & ignominia effectus, pudore suffundetur.

56. Et materia: delicta eorum. Per qua intelliguntur lapsus faciles, primario ex infirmitatibus facti à renatis, uti usurpatur Gal. 1, 6. Ideoq; multò magis etiam, si nobis condonantur majora, & illa sunt remittenda. Mitescat ergò sevitia, mansuescat furor, monet Leo serm. 5. de Quadrages. c. 4. Remittant sibi omnes invicem suas culpas, nec exactor sit vindictæ qui petitor est veniæ. Dicentes enim velex oratione dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris, &c. durissimis nos vinculis illigam9, nisi, quod profuemur impleamus. Unde etsi orationis hujus sacratissimum pactum non totà sui conditione servatum est: nunc saltem conscientiam suam unusquisq; cognoscat, & alienis ignoscendo delictis abolitionem suorum obtineat peccatorum. Dicente namq; Domino, si remiseritis peccata aliorum, dimittet & vobis pater noster, qui in cælis est, delicta vestra: non longè est ab unoquoq; quod postulat, cum de benignitate supplicis pendeat sententia judicantis. Qui huma-







ut discas ex animo condonare, si vis remissionem impetrare.

CASUS.

An debita exigenda omnia ?

**V**idetur : quia 1. hic Dominus postulat rationem non tantum, sed jubet servum incarcerari, usque dum solvisset ultimum quadrantem, Matth. 18, 35.

2. Jura volunt, ut qui non habeat in aere, luat in corpore, l. si quis. 7. §. 3. ff. de jurisd. et.

3. Historici testantur quomodo apud omnes gentes tales debitores tractati: ut 1. lapidi insiderent remotis femoralibus, quia per podicem bona turpiter egresserunt, ut habet Bal. post. Cyn. in l. 1. C. qui bonis ceder. poss. Zas. in l. ult. v. ex ista doct. ff. de cess. bon. Alciat. lib. 2. parerg. c. 47. Guido Papa q. 344. Johan. Ferrar. Montan. in jud. præexercit. lib. 3. c. 3. Marcus Anton. Surgens de Neapol. Illustr. lib. 1. c. 10. num. 42.  
2. Ex legibus 12 tabularum licitum erat debitores in partes secare Covarruv. lib. 2. Re-



2. Resol. c. 1. n. 1. 3. *Sunt servituti addicti, Reg. 4, 1. & Archidiaconus tradit quod licitum fuerit occidere eosdem.*

4. *Morosi debitores onerandi omni damno, quod dederunt, l. item. si verber. §. ult. ff. de rei vindic. l. cum servus. 29. §. 1. l. 47. §. fin. ff. de legat. 1.*

*Contra 1. Jubemur mutuum dare & nihil inde sperare, Luc. 6, 35.*

2. *Beatus dicitur, qui miseretur super egenum & pauperem, Psalm. 41, 1.*

3. *Jura volunt ne creditor statim paratus venire debeat cum sacco l. quod dicim<sup>9</sup>. 105. ff. de solut. Hoënō. dis. 14. controvers. 4. Gerhar. decad. 13. q. 10. Bachovii ad Treutl. vol. 2. dis. 27. th. 6. ad lit. A. B. nedum cum curru.*

4. *Creditor non debet esse acerbus, non contumeliosus, sed moderatus, & cum efficacia benignus, & cum instantia humanus, l. si benè. 33. in prim. ff. de usur. l. continuus. 237. §. cum ita 2. ff. de V. ob. Nec enim malitiis hominum indulgendum. l. 38 ff. de regul. juris.*

*Ad contraria: 1. Fall. secundum quid.*



quid. Parabola est. 1. ex qua tantum probabiliter colligitur. 2. potius injuria in conservum punita & ingratitude in dominum suum: nam aliàs non remissum fuisset debitum. Unde quum ipse conservum in carcerem detruserat, æquū erat ut quod quisq; juris in alium statuerit, eodem jure & ipse utatur ex tit. ff.

2. Fallacia causa. Lex loquitur non de debito, sed de pœnis in pecuniâ prestandis, & quidem in noxalibus actionibus, uti textus habet, dum de servis agit, & de iis, qui eludunt pecuniariam pœnam, ex l. 1. § 3. ff. de pœnis. & l. ult. ff. de in jus vocando de iis, qui contumaces sunt. l. 9. ff. de incendio. l. 6. in fin. C. de modo multarum. l. 4. v. quod fit. C. de servis fugitivis. l. 12. §. 5. C. de ædib. privat. 2. Feud. 53.

Ad 3. Fall. pet. princ. & causa. Testantur quidem, sed prohibitum est in Recessu Imperii de anno 77. c. 17. Etiam in casu conventionis Colerus de process. executivis part. 1. c. 8. à num. 60. usq; 81. Da.



81. Daniel. Moll. ad Const. Saxon.  
 const. 43. n. 4. p. 4. Denaysius in iure  
 camerae verb. debitores. *De ll. 12. tabb.*  
*hoc notandum, quod quidem sanctum;*  
*tamen isto rigore Romani nunquam usi,*  
 uti testatur Covarruv lib 2. resolut c.  
 1. n. 1. Quintil. instit. orat 8. c. 8. & Bal-  
 duin. ad l. Romuli. c. 46. n. 72. Heig.  
 q. juris. p. 1. q. 35. n. 26. Gilkenius de  
 praesumpt. p. 3. c. 6. n. 42. *Quod servi fa-*  
*cti propter debita, id aequè sublatum; ne-*  
*mo enim se ad id obligare potest de jure,*  
*quia non est Dominus suorum membrorum.*  
 Et ait Gelli. lib. 20. c. 1. *quòd hac pœ-*  
*na fidei sancienda gratiâ fuerit imposita:*  
*Neq̄ quicquam pejus habitum, quàm con-*  
*tra fidem egisse; nunquam tamen ali-*  
*quem eâ pœnâ punitū fuisse, eò quod hor-*  
*ror illius effecit, ne in crimē quis commit-*  
*teret, uti & Livius testatur l. 8. Pecunia*  
*debita bona debitoris, non corpus obnoxii-*  
*um esse: & cautum est à Constantino, ut*  
*nemo carceres plumbatarumq̄ pondera-*  
*ut verbera, aut alia supplicia in solutio-*  
 nibus



nibus debitorum expavescat, l. nemo. 2. C. de exact. tribut. Panormitanus per c. 2. X. de pignor. tradit neminem se ob debitum aut æs alienum posse nexu in carcerum obstringere, l. liber homo. 13. ff. ad L. Aquil. l. ob æs alienum. 12. C. de act. Servire liberos creditores compelli jura non patiuntur. Et plus petiit, qui corpus hominis pro re debita detinet l. 1. C. de plus petendo. Videant ergo quaestores isti, quid respondeant Deo, dum in carceribus detinent rusticos, in quibus nihil tamen miseri acquirere possunt. Ad sententiam Archidiaconi in c. cum homo. quam Rodericus Svaretz in tract. de fidejuss. in causa crimin. n. 22. allegat, respondetur, legem hoc non probare, imò istam impietatem nominatam in Lycaone taxat Jupiter lib. 1. Metamorph. Hering. de fidejuss. c. 20. §. 9. n. 70.

Ad 4. Fall. secundum quid. Si morosus est. & malitiosus aliud est; aliud se egenus & pauper & calamitosus. Unde notandum, quod habet Brentius in

COM.



commentario Esa. c. 58. t. 4. p. 744. si debitor fuerit solvendo, licet debitum exigere, si non fuerit solvendo, nisi exsuatur suis facultatibus, & amittat libertatem, ibi charitas exigit, ut quacunq; in tantâ necessitate volueris, ut faciant homines tibi, sic & tu facias illi. Lex Moysis dura quidem, sed tamen non licebat pauperum pignus retinere. Et dives tenetur debitum, quod pauper suae sustentationis gratia contraxit, solvere, dum pauper non solvendo, ex Sirac. 29. 13. ubi inquit: Perde pecuniam propter fratrem & amicum tuum, & non abscondas illam sub lapide in perditionem, Bald. l. 4. c. 17. cas. 13. Etiam, si uterq; pauper debitor & creditor, tunc debitor non tenetur, ad reddendum creditori si sine eo vivere nullo modo possit, quia in extrema necessitate omnia sunt communia, l. 2. §. cum in eodem. ff. ad L. Rhod. de jactu. & in communi periculo melior videtur conditio possidentis; nam charitas incipit à seipsa, l. 5. C. de servit. & aqua. Bald. d. l. cas. 11.







*Nam stat ab aeterno supera sententia menti:  
Qualis es in socios talis & ipsa tibi.  
Talia proponit multis HOFFMANNUS. Is aequè  
Praestet! Vir sperans aulicus esse potest.  
testatur*

*MIRACULI GUEINZIUS.  
S*pes alit agricolas, spes sulcis credit aratis  
*S*emina, spes nutrit cunctos, sperata reser-  
vat,

*Magnus Alexander sibi cum contendit ocello  
Oram Persarum, cum cuncta dedisset amicis.  
Nos, cui nō solvendo sumus, dū pondere pressos  
Spes saltim & valida solatur compede vin-  
ctos.*

*Cedito! Papatus meritū, monachiq; culullus!  
Munifici Regis vultum promittit amicum (ne  
Hoffmann spes patris, Vir, quò sperare perem-  
Spes non confusura, viro dabit illa trophaum.*

*Johannes Andreas  
Wnger H. S.*

---

*A*ulicus isne pius curæ cūi cœlica? Ianè  
Est ita. Nonne erit hic aulicus ergò  
pius?

*Hoc itidem. Testes sacra tmemata. Pergito!  
fies*

*O Hoffmannè polis Aulicus usq; gravis.  
ut ex animo precatur*

*Henricus Wredenholz Peinâ-Hild:*



02 A 572  
(1/2)

ULB Halle 3  
003 808 483



VΦ 17





EVANG.


CHRIST.

HALL.

Q2.C







B.I.G.

Black 3/Color White Magenta Red Yellow Green Cyan Blue

Farbkarte #13

ARUM  
 LICARUM  
 io LIII.  
 IDE  
 GUEINZIO  
 Hallensis  
 ore  
 lente,  
 ANDREA  
 NN.  
 Sax.  
 post Trinitatis:  
 Inc. III.  
 KONUM  
 Melchioris Oel-  
 ely